

opusdei.org

**Decreto Primum
inter, de aprobación
definitiva del Opus
Dei y sus
Constituciones,
como Instituto
Secular de derecho
pontificio; 16-
VI-1950.**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

19/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, V/15097.

SEGRETERIA

DELLA

SACRA CONGREGAZIONE Num. Prot.
1. S. 1-47.

DEI RELIGIOSI

DECRETUM

Primum inter Instituta saecularia
quod promulgata Constitutione
Apostolica "Provida Mater Ecclesia",
ad ipsius Apostolicae Constitutionis
normam, Laudis Decretum
promeruit, indeque iuris pontificii
evasit, fuit Institutum quod Opus Dei
audit. Ipsum, Matriti anno
MDCCCXXVIII a Rev.mo Patre
Domino Iosepho Maria Escrivá de

Balaguer conditum, die XIX martii an. MDCCCXXXI ab Episcopo Matritensi ad formam Piae Unionis redactum fuit. Postea, ita florens apparuit tum alumnorum copia, tum uberibus fructibus ubicumque collectis, ut, Sancta Sede ad normam iuris consulta (can. 492, § 1), veniaque pontificia die XI octobris an. MDCCCXXXIII obtenta, ipse Exc.mus Episcopus Matritensis praefatum Institutum in Societatem vitae communis sine votis publicis, die VIII decembris eiusdem anni, canonice erexit.

Ex Laudis Decreti concessione, atque ex pontificia Constitutionum approbatione, hisce decurrentibus annis novus mirabilis expansionis impetus Instituto obvenit. Atque in primis numerus sodalium, qui Deo et animabus in Instituto plene consecrantur, ita, Dei benignitate, multiplicatus fuit, ut parvum granum sinapis in dominico agro seminatum,

quasi in magnam arborem mirum in modum creverit. His viris ac mulieribus omnino Deo et Ecclesiæ consecratis addi debent non pauci qui diversis regionibus Instituto ut membra Supernumeraria addicta fuerunt, quæ strenue proelia Domini totis viribus proeliantur. Quoad expansionem territorialem, jam plus quam centum Instituti Opus Dei sedes numerantur in pluribus Europæ nationibus, in Americis Septentrionali; Centrali et Meridionali, atque in Africa diffusæ.

Huic singulari diffusioni ac multiplicationi, impulsio, intentio atque efficacia ministeriorum Operis Dei adæquate respondent. Quibus permotus, ut necessitati atque utilitati consulere, Rev. mus Pater Dominus Fundator preces ad SS. mum Dominum Nostrum Pium, Divina Providentia Papam XII, una cum suo Consilio Generali, supplices dedit ut, ceteris dilationibus omissis,

statim Decretum definitivas
approbationis Instituti ac
Constitutionum Operi Dei
concederetur. Ad rem plenius
declarandam obtulit insuper Operis
Dei solidam atque in iure fundatam
illustrationem: et pari tempore,
centum ac decem Praesules, inter
quos duodecim Em.mi Patres
Cardinales -ex ipsis, quatuor e Curia
Romana- ac sex et viginti Exc.mi
Archiepiscopi, proprias Litteras
Commendaticias, laudibus plenas, ad
Sanctam Sedem miserunt ut SS.mus
Dominus gratiam a laudato Instituto
expostulatam benigne elargiri
dignaretur.

Omnibus collectis paratisque
documentis ad concessionem Decreti
approbationis definitivae
spectantibus, ceterisque necessariis
ex praxi stiloque Curiae, res, in
Commissione Consultorum semel
iterumque discussa atque ad
trutinam revocata, cum Consultores

omnes ex postulatae concessioni favissent, ad Congressum plenum die I aprilis labentis anni Maximi Iubilaei, MDCCCCL, relata fuit.

Congressus plenus, precibus meritissimi Conditoris Operis Dei aures praebens, concessionem approbationis definitivae decrevit. Ipse Congressus, praeside Em.mo Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto, voluit etiam, relate ad Constitutiones, ut quae Institutorum novitate difficultatem quamdam offerre viderentur, audito Rev.mo Patre Domino Fundatore Operis Dei, ex allatis ab ipso declarationibus ac commentariis, a Commissione Consultorum dilucidarentur.

Post satis longum rerum omnium examen, quae ratione novitatis peculiarem difficultatem prae se ferebant, Constitutiones accurate in singulis fixae ac definitae fuerunt. Praecipua quae ad Instituti

ordinationem, compaginem
rationemque pertinent, ne dubium
quodlibet in posterum remaneat, hic
breviter expresse recensere visum
est:

I. NATURA ET RATIO INSTITUTI OPUS DEI.

Opus Dei est Institutum saeculare ad
normam Const. Ap. "Provida Mater
Ecclesia", cuius membra ad
perfectionem evangelicam
completam in saeculo adipiscendam
et exercendam efficaciter tendunt et
se tota apostolatusi dedicant ("Provida
Mater Ecclesia", Art. 1). Haec plena
totius vitae ad perfectionem atque
apostolatum in saeculo consecratio,
practice et efficaciter obtineri debet:
per consilia evangelica votis
socialibus, seu privatis recognitis,
temporariis prius, perpetuis postea
firmata; per virtutum moralium et
christianarum exercitium, et
speciatim per laboris quotidiani

ordinarii et professionalis
sanctificationem; et, denique, per
observantiam piorum officiorum,
quae ad vota sustinenda, fovenda et
exequenda necessaria moraliter
sunt.

Finis Instituti Opus Dei aspectus
genericus est Dei gloria ex filiali
dilectione. omni studio per Christum
Dominum, cum Ipso et in Ipso,
quaerenda, atque sanctificatio
sodalium in saeculo peragenda.

Aspectus vero peculiaris, arete atque
intrinsece cum sanctificatione atque
spiritu Instituti perpetuo coniunctus
(Ioann. XVII, 19) est totis viribus
adiaborare ut classis quae dicitur
intellectualis, quaeque, vel ob
doctrinam, qua pollet, vel ob
munera, quae exercet, vel ob
dignitatem, qua insignitur, est
moderatrix societatis civilis, Christi
Domini praeceptis adhaereat,
ipsaque in praxim deducat: et etiam
inter omnes classes civilis societatis

vitam perfectionis in saeculo fovere et diffundere, atque viros ac mulieres informare ad apostolatam in saeculo exercendum.

Etsi Opus Dei, ex ordinaria membrorum suorum condicione Institutum laicale videtur (cc. 488, 4^o; 673; § 2; Const. "Provida Mater Ecclesia", Art. 1) tamen, ultra ipsum, Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis quoad illa, quae ipsam ipsorumque membra directo tangunt, Instituti clericalis figuram induit. Immo, eo quod Societas Sacerdotalis Sanctae Civcis totum Opus Dei penitus informat et penetrat, non quidem singulis membris laicis officia, iura et privilegia clericalia applicantur: sed totum Instituti Opus Dei corpus, ad normam Constitutionum praescriptorumque Sanctae Sedis, Institutis clericalibus iuridice aequiparatur.

II. INSTITUTI ORDINATIO.

Opus Dei duplici veluti corpore constat, virorum scilicet et mulierum, sub unico Superiore seu Praeside Generali, quem Patrem appellant.

Utrumque ex his duobus corporibus utitur propria, ideoque prorsus seiuncta hierarchia, in singulis regiminis gradibus. Inter se tamen binae huiusmodi Instituti partes communi spiritu ascetico et apostolico, generalibus praescriptis in quibus hic communis spiritus definitur, atque efficaci virium et laborum coordinatione, arete coniunguntur ad apostolatam unam, compactam, magisque intensam atque completam, sub unica suprema auctoritate, reddendam.

In Sectione virorum, classis sacerdotalis subnotanda est. Ob integram demissamque venerationem qua sodales omnes Sacerdotium prosequeuntur, haec

sacerdotalis condicio, quamvis classis diversa iuridice in Instituto Opus Dei considerata non sit, cardinale momentum in Instituto habet, praecipuas ex regula in ipso directionis functiones exercet, et merito quasi eiusdem animam constituere censetur.

Conditio tamen sacerdotalis in Instituto peculiarem categoriam atque sociale corpus constituit (Const., n. 1), quod proprio etiam nomine insignitur, scilicet: Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis. Et ex laudato erga Sacerdotium venerationis sensu, qui omnia in Opus Dei vivificat, communi titulo Opus Dei praemittitur huius Societatis Sacerdotalis denominatio, ita ut recognitus Instituti titulus completus sit: Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei.

Ceterum, omnes omnino Instituti sodales eodem spiritu ascetico et

apostolico vere sacerdotali informantur (I Petr. II, 5, 9), omnes in unum consummari contendunt (Ioan. XVII, 23), adeo ut condicio laicalis solidis et authenticis virtutibus sacerdotalibus informetur, sanctitatem sacerdotalem penitus colat et quodammodo veluti gradus ad Sacerdotium habeatur. Omnes igitur sodales laici Numerarü vere parati ad ipsum inveniuntur, si, sacerdotalis vocationis signis in eis legitime repertis, ad altare a Praeside Generali invitentur.

In Sectione virorum, illi prae primis recensendi sunt qui ipsius membra proprio strictoque sensu dicuntur, et Numerarü audiunt. Ipsi, superatis omnibus praescriptis probationibus riteque emerso formationis tempore, votis socialibus Instituto incorporantur. Numerarias Oblati proxime accedunt. Hi, ob peculiarem suam vocationem, aut quia diversis rationibus praepediuntur quominus

Numerarü evadere valeant, in hac altera categoria sodalium manent, quin proinde omnibus Numerariorum iuribus frui ipsorumve officüs singulis ligari possint. Oblati tamen omnia habent quae in Constitutione Apostolica "Provida Mater Ecclesia" ad completam perfectionis professionem exiguntur (Art. III). Praeterea, etsi vitam familiae in Instituto ex regula non agunt, votis tamen socialibus Operi Dei incorporantur; et fere omnibus Constitutionum et Statutorum pro Numerarais praescriptis subüciuntur. Oblatos sequuntur Supernumerarii, qui consiliorum evangelicorum in proprio statu professione, atqué spiritus et apostolatus Instituti participatione, ipsi associantur.

In Sectione autem mulierum Operis Dei distinguendae prae primis sunt sodales Numerariae. Hae, pari

ratione ac Numerarii, votis socialibus temporariis prius et postea perpetuis, rite superatis probationibus, Instituto ligantur. Omnes vitam familiae in Opere Dei ex regula ducunt, et omnibus singulisque praescriptis Constitutionum subiiciuntur. Inter Numerarias, ratione praecipue ministeriorum quibus ipsae in Instituto occupantur, duplex sectio distinguitur, scilicet: illarum quae simpliciter Numerariae audiunt, et earum quae Numerariae Inservientes nuncupantur. Utraque haec sectio in unum revera fusa et consummata prorsus est.

Inservientes, ad exemplum Domini, qui ministrare venit et non ministrari (Math. XX, 28), et Beatae Virginis Mariae, Ancillae Domini (Luc. 1, 38), vera humilitate et charitate actae, manualia domestica ministeria, quae Marthae dicuntur, interiore autem Mariae spiritu animatae, exercent, ipsisque speciatim destinantur: Superiorum

tamen iudicio, participare poterunt labores alterius categoriae, in apostolatus subsidium. Etiam in mulierum Sectione Oblatae et Supernumerariae admittuntur, eadem ratione ac Oblati et Supernumerarii in Sectione virorum.

Desiderio acta professionem authenticae et completae perfectionis ínter sacerdotes dioecesanos excitandi, fovendi dirigendique, Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis sibi sacerdotes ut Oblatos et Supernumerarios adscribit, prout plene vel minus plene pro singulorum vocatione perfectionem in Societate ipsa profitentur, quin eorum dioecesana condicio plenaque Ordinarias subiectio quoquo modo ex hac consecratione afficiatur. Spiritus quo hi sacerdotes informantur, ita exprimi potest: "nihil sine Episcopo", quod parí prorsus modo complecti debet tam eorum Domino in

Societate consecrationem, quam omnem ipsorum vitam sacerdotalem. Finis vero peculiaris horum sodalium est vitam perfectionis atque sensum plenae Ordinariis deditionis impense in clero dioecesano promovere; et inter sacerdotes cleri dioecesani vitam communem fovere, prout Ordinario loci expedire videatur.

III. APOSTOLATUS SODALIUM INSTITUTI RATIO ATQUE OPERA.

Instituti sodales, speciali Dei vocatione, in saeculo vivunt: et, sub communibus vestibus vivendique rationibus, veluti ex saeculo ipso apostolatam exercent. Ut id praestare valeant, externe in omnibus, quae saecularibus sunt communia et a statu perfectionis non aliena, ut alii cives propriae condicionis ac professionis se gerunt, vestiunt vitamque ducunt.

Praeterea, in omnibus quae propriam saecularem professionem ac condicionem tangunt quaeque ad ipsam quoquo modo sese referunt, ut alia; cives negotiantur, quin tamen ulla ratione Ecclesiam vel Institutum ad respondendum iuridice vel moraliter ex suis actibus negotiisve cogant. Omnes civiles honestas professiones maxima sollertia exercent: et quamvis profanae sint, socii, saepius renovata intentione, fervido interioris vitae cultu, continua atque hilaria; suia; abnegatione, paenitentia duri tenacisque laboris qui sub omni respectu perfectus evadat, eas sanctificare iugiter satagunt.

Leges civiles reverentur atque officia civium singula fideliter ex conscientia observare nituntur, quin ullis iustis legibus seu officiis, specioso quolibet praetextu, se subtrahere velint. Paria; modo, omnia civilia politica aera, nullo imprudenter

excepto, sibi vindicare debent atque ad bonum publicum tenaci animo exercere tenentur. Opus Dei nullam peculiarem politicam opinionem suis sodalibus imponit. Ab omnibus tamen prorsus sinceram ex conscientia Statui fidelitatem, atque ipsi in omnibus, quae licita sunt, obedientiam exigit.

Quo melius ut saeculares atque ex saeculo apostolatum exercent, Operis Dei sodales potius singillatim quam collegialiter agunt et operantur. Omnes et singuli, quin ullus ex alterius labore excusari possit, sive exemplo, quo semper et ubique inter cives, inter collegas, inter laboris socios, domi, in via, in officio, optimos sese exhibere conantur; sive actione personali; sive relationibus mentis animique contactibus omne genus, quibus fermentum in massa, sal in cibis, lux in tenebris (Math. XIII, 33; V, 13; V, 14, 16) apparent, Ecclesiae regnique

caelestis actuosi ac indefessi operarii sunt.

Formas collectivas apostolatus sodales non dedignantur, sed actionis externae -praecipue religiosae- formas seu associationes specificas, ex quibus Institutum publice subnotaretur, devitant. Utuntur potius, ut peculiaris suae missioni respondentibus, associationibus communibus et civilibus, ex. g. litterariis, oeconomicis, industrialibus, viribus exercendis, aliisque similibus. In omnibus tamen salus animarum iuxta supremam esse debet, prout, Superiorum iudicio, locorum temporumque adiuncta exigere videantur.

Opera singula apprime respondent descriptae rationi apostolatus, qui ita apparere iugiter debet, scilicet: profunde humanus, amabilis,

apertus atque sincerus, etsi
discretione tactuque plenus.

**In particulari, apostolatum omnes,
viri praecipue, l, exercent:**

1.- Per elevationem humanam,
socialem, thecnicam et per
sanctificationem laboris
professionalis, ipsum ad maiorem
aedificitionem maiusque semper
animarum bonum convertendo,
eorum praesertim quui eiusdem
professionis socii sunt, illorumque
etiam qui cum ipsis ve] sub ipsis
sodalibus laborant. Omnibus, cum
quibus professionis causa vel
occasione quamlibet relationem
habent, sese exhibere nitantur ut
vivum, practicum, constans, com
letum christianae fidelitatis
exemplum, cuius vexilliferi esse in
saeculo revea glo ara possunt.
Speciali ratione, hunc constantem
plenumque apostolatum exempli a
tractionisque, ut veram actionem

socialem exercere debent cum operariis, quos ira industriis ac professionibus adjuutores, collaboratores operisque socios sub se habent;

2.- Per exemplarem perfectamque munerum civilium ac politicorum omnis gradus adimpletionem, quae publicae legitimae Auctoritates ipsis commiserint, vel ad quae concivium fiducia eos vocaverit;

3.- Per assiduam et consciam collaborationem ad solidam educationem religiosam, scientificam et professionalem iuvenum, qui studiis incumbunt, praecipue in Universitatibus et Scholis, Superioribus. Opus Dei; ordinarie collegia propria privataque, in quibus sodales collective instructionem", impertiantur, ut specificam suam peculiarem apostolatus rationem non respicit. Praefert, quantum

potest, suam in Scholis publicis
anonymam collaborationem
praestare. Tamen, ubi temporum et
locorum adiuncta aliud ad bonum
maius animarum suadere videantur,
absque difficultate quamlibet
Universitatum, Collegiorum vel
Academiarum formam instituere
valet. Illa actio et collaboratio omnes
integralis et harmonicae educationis
aspectus complectitur, nullo
parvipenso vel minus habito.
Cooperantur, nempe: a) ad
educationem intellectualem et
professionalem, sive docendo in
Universitatibus, Scholis Superioribus,
etc, -dum possibile sit, publicis-; sive
assistendo labora intellectuali,
exercitationibus technicis,
praeparationibus scholasticis
iuvenum; sive ipsos denique in
Scholis applicationis, aut singillatim,
ad exercitium professionum
instruendo ac praeparando; b) ad
educationem moralem et religiosam
in Collegiis ac Residentiis

Universitarias, quorum regimen suscipiunt; c) ad educationem denique sociale, artisticam, physicam, etc., per societates iuvenum omne genus ad peculiare fines ordinatas;

4.- Per ministeria diffusionis ac propagationis veritatis solidaeque christianae culturae. Omnibus, etiam modernioribus et modernissimis rationibus emissionis ac reproductionis orales et scriptae verbi imaginisque, ad Ecclesiae defensionem animarumque utilitatem promovendam Opus Dei uti potest ac debet;

5.- Per investigationem scientificam; per assiduum publicationem librorum, elucubrationum, opusculorum studiorumque in Ephemeridibus et Collectionibus technicis, artisticis, scientificis, etc.; per collaborationem in Congressibus scientificis; per fraternum

adiutorium catholicis scriptoribus praestitum, perque alia auxilia, quae alacrem scientiae apostolatum constituunt; I

6.- Inter peculiaria Operis Dei ministeria, hoc recenseri speciatim debet, quod iure meritoque Instituto carissimum est, scilicet: apostolatus ad fidem, vitam christianam, immo et piam, illos omnes trahendi et adducendi qui "ignorant et errant", vel qui a domo paterna diversimode prodigi longe absunt, aut passionibus seu praeiudiciis hostes Ecclesiae sese exhibent: praeterquam aliis apostolatus rationibus, etiam ipsorum collaborationem sive professionalem sive oeconomicam sive sociale prudenter quaerendo ad fila Instituti opera, quae omnibus patere possunt. Hac mente et hoc fine cooperatio petitur et ordinatur ut, ex ipsa, illi Dei gratiam ac misericordiam consequantur et ad

fidem christianosque mores suaviter
sed efficaciter trahantur;

7.-Denique per serenam, hilarem,
perfectam omnium executionem
quae ipsis Superiores ubique
terrarum committere censeant,
prompti semper ac parati ad illas
petendas regiones, in quibus Ecclesia
persecutionem patiatur ve;
quomodolibet ipsorum ministeria ve;
operam materne invocet.

Semper et ubique sodalis Operis Dei
Christi Domini pacem ac plenam
securamque in Domino laetitiam
secum fert, omnibusque hominibus
bonae voluntatis amice offert;
quinimmo omnes prorsus ea pace ac
laetitia contagiare nititur, atque
singulos ad haec tam suavia Divinae
Bonitatis dona acceptanda atque
gustanda suaviter compellit.

**Opera apostolatus Sectionis
mulierum:**

Mulieres omnes ac singulae non solum specificum apostolatam exercent, sed praeterea communi apostolatu Instituti, rationibus et modis quae donis naturae et gratiae ipsis a Domino largitis adaequate respondent, cooperari debent.

Praeter collaborationem igitur in operibus apostolatus supra descriptis -congrue tamen ac prudenter omnia ad peculiarem earum condicionem atque actionem accomodando -apostolatus mulierum Instituti haec opera insuper, ut sibi specialiter propria, vindicat:

1.-Regunt atque administrant spiritualium exercitiorum domos;

2.- Catholicae veritatis ac verae solidaeque culturae diffusioni scriptae ac pictae per editrices domos, per officinas librarias et ope bibliothecarum, etc., incumbunt: orali vero per cursus, instructiones aliaque id genus;

3.- Alias mulieres ad diversas apostolatus formas accuratissime praeparant, ope scholis, cursibus et exercitationibus;

4.- Omnibus mediis quae apta videantur modestiam christianam mulierum indefesse fovent, defendunt, vindicant;

5.- Eadem ratione ac supra dictum est, Residentias instituunt et regunt pro puellis et iuvenibus quae studiis vacant, earumque educationem sub omni respectu promovent;

6.- Scholas agricolas aperiunt ad christiane, socialiter et moraliter colonas instituendas, ubi in omnibus, quae ad officia industriasque spectant et mulieribus huius condicionis utilia sunt, eas apte instruunt; pariterque domos ad ancillas servitio domestico praeparandas erigere curant;

7.- Denique familiarem
administrationem atque domesticam
oeconomiam omnium domorum
Instituti gerunt, e loco tamen penitus
separato, ita ut ex canonica unius
domus erectione, duae separatae
domus iure exsurgant in unoquoque
Operis Dei domicilio.

IV. SPIRITUS INSTITUTI OPUS DEI.

Instituti aspectus duplex, asceticus et
apostolicus, ita sibi adaequate
respondet, ac cum caractere
saeculari Operis Dei intrinsece et
harmonice fusus ac compenetratus
est, ut solidam ac simplicem vitae
unitatem necessario secum ferre ac
inducere semper videatur. Huic forti
vitae unitati, respondet spontanea
magnanimitas, perpetuo renovata, in
omnibus patens, omnibusque
manifesta. Ex ipsa, ut Operis Dei
sodalis, speciali vocatione signatus,
Christi lesu fidelis miles in saeculo
evadat (II Tim. II, 3), debet se totum

et omnia sua in holocaustum offerre:
"in simplicitate cordis me; laetus
obtuli universa" (I Par. XXIX, 17).

Fundamentum solidum quo omnia in
Opere Dei constant, radixque
foecunda singula vivificans est
sensus humilis ac sincerus filiationis
divinae in Christo Iesu. Donum
pietatis ad omnia utile (I Tim. IV, 8),
ex quo dulciter creditur charitati
paternae quam habet Deus in nobis
(I Io. IV, 16), ex quo Christus
Dominus, Deus homo, ut frater
primogenitus ineffabili sua bonitate
sentitur, omnes sodales fraternam
veraque pietate adstringit. Sensus
gustatus paternitatis divinae,
adoptivae filiationis ac fraternitatis
in Christo, naturales veluti fructus in
Opere Dei producit: amorem
orationis et spiritum precum (Zac.
XII, 10), ardorem et sitim interioris
vitae, fiduciam filialem in paterna
Dei Providentia atque deditionem

serenam et iucundam divinae
Voluntati.

Pietas Operis Dei simplex, sobria et
virilis est in omnibus: deinde
doctrinalis, perfecte assimilata ac
renovata ex perpetuo et pratico
religionis studio; delectatur S.

Liturgia, ipsamque et suaviter gustat
et amice componit cum solidis
formis, quae eam applicant vel
compleant, atque cum exercitiis
personalibus meditationis ac
contemplationis, examinum,
mortificationum aliorumque
similium.

Ex plena magnanimitate ac profunda
vitae unificatione -Domino et Patri
per Christum Dominum, cum
unctione doni pietatis, totaliter
consecratae et fratribus in
communionem perpetuo traditae-,
nascitur necessitas et veluti
instinctus supernaturalis omnia
purificandi, elevandi ad ordinem

gratiae, sanctificandi et convertendi in instrumentum apostolatus. Hinc magna cura virtutum moralium, harmonica educatio humana, digna et nobilis socialis conversatio:

"omnia autem vestra sunt, vos autem Christi" (I Cor. III, 23; Phil. III, 8).

Breviter nempe: spiritus Operis Dei est supernaturalis, sincerus ac profundus, simplex, perfecte assimilatus et veluti connaturalis effectus, qui omnia penetrat, purificat et, quin deformet, in veram substantiam sanctificationis et apostolatus transformat: "vos autem Christi", et ad exemplum Christi et cum Christo, Dei (Phil. *ibid.*).

Ut insidiae vincantur triplicis concupiscentiae, superbiae vitae speciatim, quae ex doctrina, ex condicione sociali et ex muneribus alij posset, ascetismus sapienti firmitate plenus impense in Instituto colitur. Hic ascetismus nititur: humilitate, quam a summo mane,

fronte ad pulverem usque prona, omnes profitentur sub lemmate "serviam"; obedientia absoluta; sui abnegatione et frequentibus mortificationibus, etiam corporis. Haec omnia scienter curantur ut media non solum purificationis, sed praeterea veri et solidi progressus spiritualis, iuxta illud bene probatum ac comprobatum verbum: "tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris"; curantur etiam ut authentica demonstratio et exercitatio effectivi et practici amoris Christi, qui "dilexit me et tradidit semetipsum pro me" (Gal. II, 20); et denique, ut praeparatio ad omnem apostolatam eiusque perfectum exercitium: "Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore suo, quod est Ecclesia" (Col. 1, 24).

Renovatus sensus filiationis divinae in Christo Iesu, necessario in Opere Dei vertitur et practice traducitur in

ardens desiderium et sincerum studium, vere tenerum simulque profundum, imitandi Deum ut fui carissimi (Eph. V, 1) et -ad exemplum Christi, Unigeniti Patris et Primogeniti in multis fratribus, qui in omnibus via et exemplar est- plene et totaliter propriam vitam conformandi ad christianam perfectionem (Rom. VIII, 29), in saeculo quidem et in propria cuiusque professione.

Hoc ascetismi exemplar aliquibus tractibus completur: tenera devotione et deditione erga Beatissimam Virginem Mariam; pio amore erga Sanctam Matrem Ecclesiam, omniumque ad illam quoquo modo pertinentium; sincera veneratione, dilectione atque docilitate erga Summum Pontificem et ecclesiasticam ordinariam Hierarchiam; fideli ac perpetuo sensu humilitatis externae et intrinsecae, non tantum individualis

sed etiam collectivae; candore
connaturalis simplicitatis; familiari
et nobili agendi ratione; et, denique,
expressione iugis serenae laetitiae.

V. FORMATIONIS RATIO, GRADUS, NOTAE AC CHARACTERES.

Attento Operis Dei fine,
candidatorum severissima fit selectio
atque, iam veluti ad ianuas,
eliminatio. Non raro inter
Supernumerarios provide et amice
retinentur qui iudicati sunt ad
plenam consecrationem non vere
vocati.

Praeter illa communia impedimenta,
quae Institutis saecularibus etiam
applicantur, et praeter requisita
generalia, ad Opus Dei, ex ipsius
natura atque ratione apostolatus,
non immerito requisita nonnulla
exiguntur et aliqua imponuntur
particularia impedimenta. Attenditur
sane ad personae condicionem,
etiam socialem, ipsiusque qualitates

et exigitur ingenium capax superioris formationis; quoad animi dotes, pro omnibus et singulis candidatis, necessarius reputatur character sincerus, rectus, sociabilis, virilis, ad actionem et apostolatam individuaalem exercendum idoneus et aptus. Candidati debent esse tenaces, dociles, ad profundam formationem et transformationem dispositi. Denique, pro Numerarais, studia in aliqua Universitate iam peracta vel cum fructu peragenda requiruntur.

Ut educatio possit profunde a candidatis assimilari et ulteriore formatione et transformatione novi homines verique apostoli ex ipsis creara queant, arduum opus quadam veluti praeformatione incipiendum est. Nemo sane ad Opus Dei ut verum ipsius membrum directo admittitur. In coetibus per quos apostolatam "operis S: Raphai lis" sodales exercent, candidatus iuvenis probatur, educatur, praeparatur. Qui

vocatus praesumi potest, quia impedimentis caret, requisitis et qualitatibus ornatur et bonum de se specimen dedit, in Collegiis et Residentiis Operas Dei, cum studiis vacat vel ipsa complet, in contactu gradatim ponitur cum spiritu intrinseco Instituti et pedetentim in diversis apostolatus operibus exercetur. Interea candidatus lente experitur et ipsius probatio completur.

Quando iam haec individualis probatio absoluta censeretur potest, quando iuvenis culturam religiosam claram et profundam acquisivit suamque vere et practice fecit, tunc candidatus ad Opus Dei admittitur. Postea incipiunt formalis probationis cursus, quibus superatis, ascensio ad diversos gradus, qui sapienter in Opere Dei distinguuntur, fieri valet. Post primam huiusmodi formationem, candidatus super ipsius Oblationem Domino et Instituto facit.

In ipsa, vota socialia ad annum emittuntur et per quinque saltem solidos annos renovata debent. Ex Oblatione ad Fidelitatem transitus et gradus fit, quo pulchro nomine perpetua consecratio designatur.

Inter perpetuo Fidelitate incorporatos, seliguntur qui accurate ulterius probati et formati, ad munera regiminis atque educationis apti declarantur voceque, ut dicunt, passiva fruuntur et Inscripti nuncupantur. Voce etiam activa in supremis Instituti Congressibus, praesertim vero in electivis, ex quo Electores dicuntur, pauci post severam praeparationem donantur.

Clericalis sacerdotum institutio omnibus modis fovetur ac severissime exigitur. Sub respectu ecclesiasticae culturae, non solum ab omnibus completum curriculum, ad normam iugis communis peculiarisque Societatis Sacerdotalis

Sanctae Crucis, ad unguem requiritur, sed praeterea una saltem doctoralis ecclesiastica laurea, in Athaeneis Romanis ex regula consequenda, ab omnibus et singulis expostulatur. Ecclesiastica vero spiritualis formatio accuratissime in cursibus Collegüsque ad hoc destinatis et ordinatis praebetur ac impertitur.

VI. REGIMEN INSTITUTI .

Duae hierarchiae interne pro viris et mulieribus diversae, in omnibus gradibus regiminis distinguuntur. Ipsaeque in Patre eiusque delegatis ac, in unaquaque Regione, in Consiliario uniuntur: atque ab ipsis tantum sive Institutum sive singulae eius Regiones legitime repraesentatur. Consiliarius tamen, quoad mulierum Sectionem, vice et nomine Patris agit.

Hierarchia tribus gradibus constat: generali, regional; et locali, in quibus

interna munera atque officia socius
Numerarius semper reservantur.

Supremus Moderator seu Praeses
Generalis Instituti ad vitam eligitur
et plena potestate fruitur. Operis Dei
ratio atque intima ipsius ad modum
familiae constitutio; membrorum
Numerariorum condicio quae, cum
omnes intellectuales sint tunc evadit
ut auctoritas, si discutatur,
periclitetur; denique natura et
character apostolatus sodalium,
suadere visa sunt ut Pater omnia in
manibus habeat, ita ut Congressus,
Consilia ac munera ipsum adjuvare
debeant, atque non nisi in casibus
gravioribus, ad normam iuris et
Constitutionum, votum
deliberativum in regimine praecipue
generali admittatur. Rationes quibus
haec absoluta auctoritatis ratio
vindicaretur severe ad trutinam non
semel revocatae sunt: et post diligens
earum examen in Commissionibus
Consultorum prius, et postea in

Congressibus plenis, a S.

Congregatione probatae et, praecipue quoad graviora, etiam SS.mo Domino Nostro Papae subiectae sunt.

Corpora moralia, quibus Patris electio aliorumque generalium munerum utriusque Sectionis Instituti provisio reservantur, sunt Congressus Electorum et Congressus Electrcum. Praeter facultates electivas, ipsis, in unaquaque Sectione competit participatio quaedam in supremo regimine, ad normam Constitutionum. Congressus ordinarios singulis quinquennijs convocatur, ut de Instituti statu iudicium proferat et futurae actioni regiminis opportunas normas suadere valeat. Convocarj insuper Congressus Sectionis virorum debet quando Patris officium vacat: et etiam convocandus extra ordinem est, cum rerum adiuncta quoquo modo ad normam Constitutionum id postulent.

Inter Congregationes, quae in regiminis ordinatione notatu dignae sunt, recenserj debent Hebdomadae Laboris, generales et regionales. Ipsae ad internae experientiae lectiones diligenter colligendas, et ad progressum ordinate promovendum in methodis et instrumentis ad apostolatum adhibendis dedicantur, in utraque Operis Dei Sectione. Ad Hebdomadas Laboris sodales omnes Instituti seu Regionis Fidelitate Operi Dei perpetuo incorporati collaborare valent, etsi non omnes ipsis adsistere queunt.

Cum iam ergo omnia ad Institutum et Constitutiones Operis Dei Societatisque Sacerdotalis Sanctae Crucis spectantia accurate perpensa sub omni versu haberi valeant, et clare solideque constent, Haec Sacra Congregatio Negotüs Religiosorum Sodalium praeposita, vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro Pio, Divina

Providentia Papa XII, occasione Anni
Maximi Iubilaei concessarum,
Ipsiusque nomine et auctoritate,
quae sequuntur statuere decrevit:

1.um.-Institutum Societas
Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus
Dei ut Institutum saeculare, ad
normam Constitutionis Apostolicae
"Provida Mater Ecclesia", definitive
approbatur et confirmatur;

2.um.-Constitutiones Instituti
saecularis Societas Sacerdotalis
Sanctae Crucis et Opus Dei, prout in
hoc textu adsunt cuius autographium
in Archivo Sacrae Congregationis
conservatur, definitive approbantur.

Contrariis quibuslibet minime
obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae
Congregationis de Religiosis, die XVI
iunii an. Maximi Iubilaei MDCCCCL,
Sanctissimo Divinoque Cordi Iesu
sacra.

+ Al. Card. Lavitrano

L + S Praef.

+ fr. L..E. Pasetto

Secr.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/decreto-primum-inter-de-aprobacion-definitiva-del-opus-dei-y-sus-constituciones-como-instituto-secular-de-derecho-pontificio-16-vi-1950/> (09/04/2025)